Wilamowitz-Moellendorff,
Ulrich von
De Rhesi scholiis
disputatiuncula

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXVII—LXXVIII

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INEST

VDALRICI DE WILAMOWITZ MOELLENDORFF
DE RHESI SCHOLIIS DISPVTATIVNCVLA

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXVII.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

CAROLVS HVETER

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

De scholiorum Euripideorum origine et auctoritate nihil plane exploratum esse K. Lehrsius, gravissimus in tali causa iudex nuper pronuntiavit (de Pindari schol. p. 79). neque videtur nobis de tristissimae sententiae veritate multum detrahi posse, etiamsi omni laude Th. Bartholdum privare nolumus, qui dissertatione *de scholiorum in Euripidem veterum fontibus* Bonnae 1864 edita summos in philosophia honores obtinuit. laudabili enim diligentia grammaticorum relliquias inlustravit quorum memoria in eorum quae nobis servata sunt scholiorum ariditate per casum non interiit. quod vero dispositis per stemmatis flexuras aliquot nominibus magnam rem confectam, singula quaeque ad auctores suos revocata esse opinatus est: fecit hoc praepostera quidem sed tamen frequenti saeculi facilitate. sic enim hodie itur ad astra. qui paullo modestius de eis quae sciri possunt sentire didicerit, paucissima adfirmabit, a nulla re vero magis anxie cavebit quam ab inani illa certorum nominum captatione, satis beatus, si pedetemptim procedendo per avios et lubricos campos semitam tandem repperire potuerit. quam semitam sterni non posse nisi scholia eadem artis severitate et recensentur et emendantur atque cetera litterarum monumenta, non egere credimus demonstratione. debemus autem sicut in multis aliis scriptoribus ita in scholiis Euripideis industriae G. Dindorfii quod duplex illud critici munus suscipere possumus; ne acta ageremus idem editor ipse curavit. sed ne conferendorum quidem codicum taedio supersedere propter Dindorfianam editionem licet. non loquimur de Vaticano, quem in scholiis multo adcuratius quam in ipsis Euripidis versibus notum esse scimus: loquimur de Marciano, cuius quae vulgo conclamata esse creduntur scholia omnia recuperari posse confidimus etiam sine venenis (quae nihil tamen est cur non adhibeantur).

modo homo et diligens et sobrius oculos pariter exercitatos pariterque firmos ad utilissimam operam advertere voluerit. sed antequam aliquot saltem exemplis sententiae nostrae veritatem demonstremus, unum ipsius Hecubae versum ope Marciani emendabimus, ut ne testimonium desit posse aliquid utilitatis etiam post Kirchhoffii conlationem ex Marciano percipi; quamquam multo exilius quam in Vaticano spicilegium est. vociferatur Hecuba v. 619 ὦ σχήματ᾽ οἴκων, ὦ ποτ᾽ εὐτυχεῖς δόμοι, Ὦ πλεῖστ᾽ ἔχων κάλλιστά τ᾽, εὐτεκνώτατε Πρίαμε, γεραιά θ᾽ ἥδ᾽ ἐγὼ μήτηρ τέκνων, Ὡς ἐς τὸ μηδὲν ἥκομεν. dubitabant olim de v. 620 constructione, et est profecto contortior quam quae tolerari possit. opitulatum ibat Kirchhoffius prolata Marciani lectione κάλλιστα κεὐτεκνώτατε, sed recte et alii et nuper ipse Kirchhoffius non minus inconcinnam lectionem abiecerunt. atqui intulit illam corrector in eius locum quam et scriba et ipse olim Euripides dederant ὦ πλεῖστ᾽ ἔχων κάλλιστα κεὐτεκνώτατα Πρίαμε. addimus praeterea non penitus in Marciano interiisse vestigia verae terminationis τιθεῖς, pro qua τίθης scribere consuevimus; idem de egregio codice Φ demonstratum est in Analectis Euripideis p. 11; denique integrum aliquotiens evasit θνήσκειν velut Andr. 493 Orest. 1075, 1232.

Scholia adscribimus tria Andromachae singulari doctrina non minus quam ingenti corruptione insignia. atque eius quidem quod ad v. 10 adscriptum est prima et ultima pars etiam in Vaticano libro extat, sed multo magis corrupta ita ut peculiares eius errores repetere nihil iuvet. Λυσίμαχος (sic C. Mueller: Λυσανίας MV) κατηγορεῖ Εὐριπίδου κακῶς λέγων αὐτὸν ἐξειληφέναι τὸ παρ᾽ Ὁμήρῳ λεχθὲν "ἤ τις Ἀχαιῶν Ῥίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου" (οὐχ male addunt MV) ὡς πάντως γενόμενον· ἀλλ᾽ εἰκαζόμενόν ἐστιν ὑπ᾽ αὐτῆς (ὑπ᾽ αὐ. Cobetus: ἀπ᾽ αὐ. V, om. M), ὡς εἰ ἔλεγε κατακαυθήσεσθαι τὸν παῖδα ἤ τι ἄλλο. Ξάνθον δὲ τὸν τὰ Λυδιακὰ σ[υγγρά]ψαντά φασιν (omisit librarius nonnulla, ex. gr. πρῶτον εἰρηκέναι τὰ τοιαῦτα περὶ Ἀστυάνακτος· πρὸς ὃ λεκτέον) ὅτι Εὐριπίδ[ην] Ξα[ν]θῳ προσέχειν περὶ τῶν τρωικῶν [ἀπίθαν]ον, τοῖς δὲ χρησιμωτέροις [πείθε]σθαι [καὶ] πιστοτέροις· Στησίχορον μὲν γὰρ ἱστορεῖν (Cobetus: Στησίχορος μ. γ. ἱστορεῖ MV) ὅτι τεθνήκοι καὶ τὸν τὴν Περσίδα συντεταχότα κυκλικὸν ποιητὴν ὅτι καὶ ἀπὸ τοῦ τείχους ῥιφθείη. quadratis cancellis supplementa saepsimus excogitata coram codice: ibi demum inveniri possunt quae obscuris litterarum vestigiis satisfaciant. longe autem gravissimum est quod in Marciano post ea quae adscripsimus verba scholion per quinque codicis versus continuatur, qui apud Dindorfium decem versus expleturi essent. ac nobis quidem non magis quam Cobeto aut Iosepho Muellero contigit ut praeter pauca vocabula velut Εὐριπίδης, περὶ Ἑλένου, τῶν δὲ Ἀθηναίων, καὶ ἀστέρα δὲ quicquam expiscaremur: noluimus vero thesaurum celare, quia ipsi promendo ei inpares fuimus. alterum scholion v. 32 est, ubi in Lysimachi fragmento nihil est quod suppleatur nisi exhiberi a codice ipso Cleodaei patrem Herculem; coniectura idem assecutus erat C. Muellerus; quartum autem Lanassae filium vocari Eurychorum. secuntur haec ταῦτα μὲν Λυσίμαχος· Φιλ[ο]κλῆς δὲ ὁ τραγῳδοποιός καὶ . . . προεκδοθῆναί φησιν ὑπὸ Τυνδάρεω τὴν Ἑρμιόνην τῷ Ὀρέστῃ [εἶτα δ᾽] ὕστερον (adparuit nobis in codice ὅσα; sed adridet Caroli Roberti coniectura) ὑπὸ Μενελάου δοθῆναι [Ν]εοπτ[ολ]έμῳ. non ingratam fore Philoclis resuscitatam memoriam confidimus. in ultimis scholii versibus ab emendatione manus continere malumus, est autem quod speremus ex Dindorfiano et eo quod adponimus exemplo concinnatum iri quamvis lacerum verborum contextum. et adparebunt plura oculis acutioribus.

οσα ὑπὸ μενελαου δοθηναι. εσπτ. ερμο — ονα ὕστερον δὲ διομηδει συνοικησαι .... φησὶ δὲ και

ἀσκληπι — — —

νεοπτολεμω ἀγχιαλον γενέσθαι — ληνὶς δε ἐκ μεν ἀνδρομαχης μεγαπορην ἐκ δε

ἑρμιόνης ἄγλαον και μενεσ — —

— — δε καὶ ἀπολλόδωρος ἑκατον διαχρησασθαι

προξενος δὲ ἐν τῃ πρωτῃ — —

οτι ἐξῆς ἑρμιονη παραδ —

denique duos versus adscribimus in quorum lectione frustra multas horas consumpsimus: nam legimus quidem pleraque, sed nihil intellegimus. v. 631. ἄμεινον φιλονόμηται τὰ περι Ἴβυκον· εἰς γὰρ Ἀφροδίτης ναὸν καταλεῖει (hoc est καταλύσει) ἡ Ἑλένη κἀκεῖθεν διαλέγεται τῷ Μενελάῳ. ο δ' ὑπ' ἔρωτος ἀφίησι τὸ ξίφος· τα παρα πινδ ... δ. καθο.. ετρος (haec praeter accentum et ς non plane certa) ὁ ἰβυκῖνος ἐν διθυράμβῳ φησίν. —

Satis docuimus ne fundamenta quidem recensionis non posse amplificari. nescivisse Dindorfium saepenumero bona veterum librorum lectione uti non opus est enucleatius exponatur, cum luculentissimo exemplo demonstratum sit a Kirchhoffio Hermae VIII 184. emendatio quomodo habita sit in eis partibus quae hoc demum saeculo innotuerunt, exempla ex Andromacha et Alcestide sumpta ut quodque fors obtulit docebunt. Androm. 351 βέλτιόν ἐστιν ἀνέχεσθαι πολλῶν εὐνῶν, ὅ ἐστι φέρειν τὸν ἄνδρα, εἰ καὶ πολλαῖς πολλάκις χρῷτο, ἢ ταῦτα ὑποστῆναι ἃ ἐγὼ λέγω. πολλάκις olim fuit παλλακίσι. — Androm. 57 "ἐπείπερ καὶ κατ' οἶκον ἠξίουν Τὸν σον, τὸ Τροίας ἡνίκ' ᾠκοῦμεν πέδον." notat scholiasta fuisse qui scriberent τὸ σόν, interpunctione scilicet post ἠξίουν posita: γρ. τὸ σόν· ἵν' ᾖ τὰ ἑξῆς τοῦ ὀνόματος ὂν τὸν δεσποτικον. fuit ἵν' ᾖ τὰ ἑξῆς· ὅτ' ᾠκοῦμεν τὸ σόν, τὸ δεσποτικόν (πέδον). — schol. Parisin. Alcest. 22 "μὴ μίασμά μ' ἐν δόμοις κίχῃ" σωματοποιεῖ ἑαυτόν. legendum αὐτό. — versus 49. 50 hi sunt "ΘΑΝ. κτείνειν ὃν ἂν χρῇ; τοῦτο γὰρ τετάγμεθα. ΑΠ. οὔκ, ἀλλὰ τοῖς μέλλουσι θάνατον ἐμβαλεῖν." ad quae scholia spectant 49 εἰς τοῦτό με (μὴ codd.) δύνῃ πεῖσαι, τὸ φονεύειν ὃν ἂν πέπρωται. 50. μέλλουσι· τοῖς γεγηρακόσι· τοῦτο γὰρ λέγει μέλλουσι· βραδύνουσι γὰρ ἐν ᾧ ζῶσιν (ἐν τοῖς ζῶσιν Vaticanus, ceteri peius etiam) ἄλλως· οὐ χρὴ κτείνειν ὃν πέπρωται, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς ἔλεον ῥέπειν καὶ μόνοις (τοῖς addendum) γέρουσι θάνατον ἐπάγειν. ἄλλως. οὐχὶ τοῦτό σε θέλω πεῖσαι (ποιῆσαι codd.), τὸ κτείνειν ὃν ἂν χρῇ· τοῦτο γὰρ ὡμολόγηται· ἀλλ' εἰς τὸ τοὺς γεγηρακότας ἀναιρεῖν. — nihili sunt quae Dindorfius ad v. 132 adscripsit: opus tantum est distinctione ἃ ἔδει ποιεῖν τετέλεσται τῷ Ἀδμήτῳ. τί δέ; τὸ εὔξασθαι, τὸ θῦσαι τοῖς θεοῖς. "τὰ πρόσφορα" (v. 148) ἐπὶ τοῖς etc. ac legi suo loco scholion adscriptum in quamvis vili libro Laurentiano 31, 15. similiter quae in scholio 247 ad temeraria pellexerunt Matthiaeum enodanda sunt. adnotarunt ad principium praeclarae scaenae nescio qui τῶν φαύλως ὑπομνηματισαμένων, ut aliquando audiunt, εἰκῆ φασι πεπλάσθαι (φησὶ δίδοσθαι codd.) τὰ περὶ τῆς ἐν τῷ Ἀχέροντι πορθμείας. reliqua omnia una cum Duridis fragmento ad Iolciacum Peliae regnum i. e. ad v. 249 spectant. ceterum refer schol. 307 ad 308, 527 ad 529, 566 ad 569, 723 ad 724, et ex schol. 258 traice verba ἐπειδὴ περὶ πλοίου ὁ λόγος ad schol. 257 ναυκληρίαν· ἀποδημίαν, et 324 emenda "γυναῖκ' ἀρίστην" ἐμὲ δηλονότι (325 "ὑμεῖς δὲ μητρός") ἀρίστης, (ἀρίστην codd.) ὡς εἴ τις λέγοι, ἀστεῖος ὁ ἀνὴρ καὶ ἡ γυνή, ἀστεία δηλονότι. — ridiculus error inest scholio 330 οὐδεμία ἄλλη γυνή ἐρεῖ μοι "ὦ πόσι", οὐ γὰρ λήσομαι:

opinor λήψομαι. — schol. 311 ἱκανος ἐστι πᾶς (lege παῖς) ἄρσην ἑαυτῷ βοηθεῖν, παρρησίαν γὰρ ἄγει πρὸς τὸν πατέρα. videtur nobis adulescens libera lingua in omnes fortasse homines uti, excepto uno patre in cuius manu est. et est apud Euripidem "καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν." fuit apud scholiastam παρρησίαν ἄγει παρὰ τὸν πατέρα. credi non potest quotiens minime rarus ille usus praepositionis παρά a librariis editoribusve obscuratus sit, et dicemus de hac re fortasse aliquando explicatius, nunc unum et nobile exemplum sufficiat. in epitaphii Thucydidei peroratione locus est gravissimus, in quo emendando nuper conplures desudaverunt. non vidimus qui apertam veritatem tangeret. haec enim Thucydides scripsit: παισὶ δ' αὖ ὅσοι τῶνδε πάρεστε ἢ ἀδελφοῖς ὁρῶ μέγαν τὸν ἀγῶνα· καὶ μόλις ἂν καθ' ὑπερβολὴν ἀρετῆς οὐχ ὁμοῖοι ἀλλ' ὀλίγῳ χείρους κριθεῖτε· φθόνος γὰρ τοῖς ζῶσι παρὰ (πρὸς codd.) τὸ ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. post ἀγῶνα omisimus putidissimum glossema quod Steupius tandem resecuit τὸν γὰρ οὐκ ὄντα ἅπας εἴωθεν ἐπαινεῖν.

Non opus est ut plura coacervemus: quicumque mediocriter graece doctus scholia pertractaverit centenas mendas facile indagabit non minus pueriles. ecquid vero de origine et auctoritate scholiorum investigari possit experiri libet in Rhesi commentis Vaticanis. quae hoc ipso saeculo protracta ex libro qui unus ea continet multorum hominum oculos in se converterunt cum propter frequentem spectatissimorum grammaticorum commemorationem tum propterea quod quaestionem de Rhesi ipsius origine Hermanni Welckerique aetate studiose tractatam multum promovere videbantur: tamen nondum extitit qui discretis quae in Vaticano libro coaluerunt partibus sano iudicio viam muniret. ut autem discerni omnino scholia Vaticana possint efficit utilissimus etiam in vilissimis adnotatiunculis liber Laurentianus C, qui Rhesum ex diversae recensionis fide destitutamque omni veteris doctrinae ornatu propagavit, continet tamen cum in aliis tragoediis tum etiam frequentius in Rheso notulas partim intra versus partim in marginibus positas quibus singulae voces explicantur. quae glossemata (vix enim alio nomine digna sunt) per se spectata nihili sunt, ac vel unico loco quo grammatici auctoritas adpellatur (817 μαράγνα οὕτως παροξύνει ὁ Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου) Lentzius fidem derogavit. iam vero eadem aut simillima certe haud raro etiam in Vaticano comparent, ornata aliquando rarissimae eruditionis floribus; veluti ad v. 419 in Laurentiano adscriptum esse nos testamur (neglexit enim Furia) ἄμυστιν· εἶδος ποτηρίου, Vaticanus habet οἱ μὲν ποτηρίου εἶδος — τινὲς δὲ ἐπὶ ἀπνευστὶ πόσεως et utramque explicationem exemplo ex comoedia sumpto inlustrat. coniecerit igitur quispiam superesse in Laurentiano exiles eiusdem commentarii qui in Vaticano minus decurtatus est relliquias. at inprobamus proclivem opinationem, cum ei et Laurentiani vel potius archetypi codicis Φ natura in tot tragoediis spectata refragetur, et singularis plane sed constans per magnum numerum ipsarum notularum indoles longe aliam commendet explicationem. nullum enim ex his scholiis uni convenit Rhesi loco, cui adscriptum est (praeter 873, quo Vaticanus caret, nullius pretii), contra omnia in vocabulorum notione definienda versantur, omnia lexicon sapiunt. atqui notissimum est eandem veterum grammaticorum doctrinam lexicis quae quotannis paene nova conpilabantur inde a secundo p. Chr. n. saeculo ad ultima scholae Byzantinae tempora propagatam esse, neque quidquam miri habet si eadem vocabula ex diversis lexicis diversissima aetate similiter explicata offendimus, adprime autem congruit quod eaedem

similesve explicationes hodie etiam et in aliarum tragoediarum scholiis et in lexicis prostant. cf., ut in uno nos contineamus, schol. 311, 419, 711, 789 cum Hesychio s. v. πέλτη ἄρμοστις ὕπαφρος μοχθισμός. peltae descriptio totidem verbis repetitur ad Alcest. 498, et ex Harpocratione s. v. τετραρχία, quem Dindorfius ad Rhesum adscripsit, ultro consequitur in schol. Alcest. 1134 Aristarchi nomen ex Aristotele esse corruptum. nolumus commorari in re aperta; intrusas autem glossas esse a manu non nimis prudenti in commentarium Vaticanum uno sed eodem luculentissimo conprobatur testimonio. in scholio enim 36 postquam ex enchiridio mythologico, quod primo p. Chr. saeculo iam in usu fuisse demonstrari potest, variae quae de Panis stirpe fuerant fabulae narratae sunt sequi debebat Apollodori de Panico terrore doctrina, quae ex eodem enchiridio huc devenit: at dirimuntur partes coniunctissimae exili eorundem Panicorum explicatione quae simillimis verbis conprehensa etiam in Laurentiano conparet (p. 23, 6—11). semoveamus igitur totam hanc scholiorum classem variis temporibus per varias manus antiquo commentario inlatam. perscribimus scholiorum quae huc referenda ducimus omnium numeros, in eis quorum vestigia in Laurentiano nulla sunt similitudine ducti: 2, 33, 36 (p. 23, 6—11), 58, 68, 177 (usque ad ἔλυσεν ἀποίνων), 207, 274, 282, 311, 322, 372 (πεδαίρων), 419, 430, 440, 442, 446, 469, 711, 724, 741, 785, 789, 817, 825, 855. quodsi cui in eis de quibus certo dici nihil potest aliter iudicare libuerit, nos quominus ea ad alteram classem referat non prohibemus: neque enim quidquam ad summam rei facit.

Alterius classis numeros non enotamus, quandoquidem praeter scholia iam significata et tertiam de qua explicatius dicemus classem tota scholiorum moles uni homini adscribenda est, quem paraphrastam vocare licet. facile erat post luculentissimam Lehrsii disputationem cum in ceterarum tragoediarum scholiis tum in Rheso paraphrasin deprehendere manifestam, atque plurimum utilitatis ex hac cognitione perceptum iri confidimus, modo nequis perniciosissimo omnia ad eandem amussim exigendi studio quidquid de unius tragoediae scholiis exploratum est ad omnes tuto transferri posse opinetur. de omnibus vero negari tutissime potest, extitisse umquam integram vel in solis canticis paraphrasin quales Homeri Pindari Lycophronis extant. nam eam Hecubae interpretationem quam e Guelferbytano codice Dindorfius protraxit et si quae similes sunt Moschopuli Thomae Triclinii sordes, nequaquam in legendorum sed in conburendorum librorum numero habemus, quandoquidem disci ab istis effetae Constantinopolis magistellis nihil potest, cum ne melioribus quidem veterum scholiorum codicibus quam quales hodie extant usi esse videantur. itaque grammaticus cui inutiles libri necessario legendi sunt plurimi a taedio isto plane supervacaneo abstinebit, nisi recte refertur inter bestias quae pulvere vesci gaudent.

Rhesi paraphrasta vetus ex eis dicendi formulis quibus distingui paraphrases Lehrsius exposuit duabus utitur saepe φησίν et τὸ ἑξῆς, semel τὸ ἑξῆς τοῦ νοῦ, semel ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν: numquam invenitur ὁ νοῦς, ὁ λόγος nedum ἡ σύνταξις. i nunc et conpara in eodem libro servata Troadum scholia: intelleges cur de Rheso verba faciamus sola, nam ne hi quidem commentarii ex eodem fonte promanarunt. Rhesi igitur paraphrastam, sicut de aliis constat, praeterquam quod poetae orationem totidem vulgaribus verbis reddebat addidisse constructionis sive perplexae sive ambiguae explicationes et siquid aliud, veluti personarum quae inducuntur

nomenclatio, brevem admittebat enarrationem cum certis quibusdam locis patefit tum parilis docet ieiunitas quae in his atque illis adnotationibus regnat; exquisitioris doctrinae nullum vestigium est, nullum grammatici nomen, nullum nisi Homericum testimonium conparet, ita ut utilitatem ex paraphrasi omnino non essemus percepturi nisi paucas servasset lectionis discrepantias. denique non mirabimur si in libro Vaticano nonnumquam eadem explicatio bis videtur proferri: factum enim est aut ubi duplex a paraphrasta proposita erat explicatio, repetita scilicet olim ad ipsum versum ea quam ille commendaverat, aut repetitis post longiorem paraphrasin singulorum vocabulorum interpretationibus: quod item ex interlinearibus glossis ortum est. quae contendimus satis inlustrari arbitramur paucis exemplis excerptis. coniunctam habes grammaticam explicationem de trivio sumptam cum paraphrasi v. 247 ἐπεὶ κεκωμῴδηνται οἱ Φρύγες ὡς δειλοί, φησὶν ὅτι οὐ δεῖ παντελῶς ἀτιμάζειν τοὺς Φρύγας· ἔστι γὰρ ἐν αὐτοῖς θράσος καὶ ἰσχ῾ς, ὡς ἔδειξεν ὁ Δόλων. dixit de καί paraphrastarum Lehrsius p. 21. v. 479 ἐν ἐρωτήσει τοῦτο προενεκτέον· οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ ἄριστοι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐνταῦθα ἐλθόντες; v. 381 ταῦτα πρὸς τὸν Ῥῆσον ἐπιστρέψαντες (ἀποστρ. V) λέγουσιν "ὦ μέγα βασιλεῦ", ὁρῶντες δηλονότι (δὲ V) αὐτόν. bis eadem proferri videntur locis qualis hic est v. 481 ὅμως (?) ἐλαύνομεν αὐτοῖς (αὐτοὺς V) καὶ πολεμοῦμεν· ἡ δὲ καλὴ ἐξήγησις αὕτη· καὶ οὐκ ἐκφαυλίζομεν αὐτοὺς ἀλλὰ πάνυ κάμνομεν καὶ ἄγαν ἐμφορούμεθα τοῦ κόπου μαχόμενοι αὐτοῖς· καὶ Ὅμηρος (sequitur ε 290). altera explicatio olim intra versus repetita nunc ante scholion legitur καὶ οὐκ ἐκφαυλίζομεν αὐτοὺς ἀλλὰ πάνυ κάμνομεν (πάντα κινοῦμεν V) πρὸς τὸ ἀποστῆσαι αὐτούς. v. 361—64 paraphrasis haec est ἆρά ποτε, φησίν, ὑποστρεψάντων τῶν Ἑλλήνων ἡμεῖς μετὰ εὐφροσύνης διάξομεν καὶ δι' ὅλης ἡμέρας ἄξει καὶ τελέσει ἡ πόλις τοὺς ἐν τοῖς συμποσίοις χοροὺς ταῖς τῶν κυλίκων φιλονεικίαις· λέγει δὲ τὰς προπόσεις ἀπὸ τῆς συνεκδοχῆς· οἰνοπλανήτοις δέ, τοῖς διὰ τοῦ οἴνου παραγούσαις τὸν νοῦν. secuntur glossae ὑποδεξίαις· ὑποδεκτικαῖς ἀπὸ τοῦ κύλικος. λέγει δὲ τὰς προπόσεις ἀπὸ τῆς συνεκδοχῆς. ἁμίλλαις· φιλονεικίαις κυλίκων οἷον πόσεων. οἰνοπλανήτοις· ταῖς διὰ τοῦ οἴνου παραγο΄σαις τὸν νοῦν. conferantur, nam exscribere taedet, v. 251, ubi eximenda verba οἷον Μυσός ἐστιν ὁ ἀτιμάζων ἡμᾶς, ὁ ἀδόκιμος glossa interlinearis: v. 483 ubi inde ab ἄλλως ipsa repetitur prior explicatio; 547 ubi ex dittographia concludimus fuisse qui recte intellegerent lusciniam in Simoentis sanguinolento cubili cantare. superant similia minoris etiam momenti. at magni refert scire quam antiquus fere fuerit paraphrasta. ac terminum certe post quem fuerit figere licet beneficio iterum laudandi libri Laurentiani. nam quos eadem stirpe oriundos praeter Laurentianum Kirchhoffius adhibuit Harleianum et Palatinum, ex eis Palatini nullam esse prae Laurentiani genuina scriptura auctoritatem sciunt hodie omnes nisi quis aut stultitia aut contumacia obcaecatus est; Harleianus interpolationem passus est ex Byzantino prioris familiae libro. itaque nos et in hac scriptione solo utimur Laurentiano, quem sollerter excussimus, et uteremur si nova Rhesi editio, qua opus non est, adornanda nobis esset: uno loco Laurentianus veram lectionem nobis obtulit, olim ex Aldina propagatam, expulsam a Kirchhoffio, receptam a Dindorfio tamquam Musuri coniecturam v. 278 ἀνὴρ γὰρ ἀλκῆς (ἀρχῆς ceteri) μυρίας στρατηλατῶν Στείχει φίλος σοι. sed in longe plerisque multo deteriorem Vaticano Laurentiani esse recensionem concedendum sane est (ne hac quidem in re Troades cum Rheso faciunt; Vaticani enim

lectiones persaepe a Palatino vinci et Nauckius exposuit et pluribus etiam ei docendum erit qui novam Troadum editionem, qua opus est, adornare instituerit), tamen tribus locis efficitur derivatam esse a communi stirpe alteram Rhesi recensionem ante paraphrastam: desudat enim ille in explicandis vitiosis lectionibus, ubi Laurentianus aut verum aut vero proximum exhibet. sub finem scaenae eius in qua pastor Rhesum auxilio tandem venire adnuntiat, ordinem versuum codices exhibent omnes perversum. sed huic communi labi Nauckius medicatus est: cedit igitur Hector qui antea Rhesum tanquam hospitem non vero tamquam belli socium recipere voluerat monitis et chori et nuntii, laudatisque utriusque consiliis scaenam concludit ita ὁ χρυσοτεύχης δ' εἵνεκ' ἀγγέλου λόγων Ῥῆσος παρέσται τῇδε σύμμαχος χθονί. hanc Vaticani scripturam non posse ferri Nauckius intellexit, sed delapsus est ad mirabilia cum Laurentianum neglexit. postulamus enim hanc sententiam "veniat Rhesus, quoniam exhortationibus cedo, tanquam socius." est communis alterius familiae emendata lectio παρέστω. at paraphrasta bene quidem intellexit εἵνεκ' ἀγγέλου λόγων illud, in quo Nauckius haerebat, παρέσται vero ineptissimum repetit 339 ἐπεὶ καλῶς παρῄνεσεν ὁ ἄγγελος τὸν Ῥῆσον εἰς συμμαχίαν δέχεσθαι, λοιπὸν ἥξει. — non absimilis est alius scaenae finis, corruptus in omnibus libris, quem strictim emendabimus. suadet Ulixes Diomedi, ut e castris Troianis re infecta revertantur, Diomedem fugae pudet, ait ille satis se fecisse occiso Dolone, intervenit Minerva, fugientes retrahit. secundum tragoediae consuetudinem, a qua ne hic quidem poeta recedit, Diomedes cedere se Ulixis rationibus diserte debebat pronuntiare. scribendum igitur post Ulixis illa 593 ἢ πᾶν στρατόπεδον πέρσειν δοκεῖς; ΔΙΟΜ. πείθεις, πάλιν στείχωμεν· εὖ δ' εἴη τυχεῖν. traditum est πείθου omisso Diomedis nomine. sed in viam redimus. v. 245 chorus cantat, fortium virorum inopiam esse ubi res publica in mari gubernatoris artem eludat et fluctibus iactetur. ἢ σπανία Τῶν ἀγαθῶν ὅταν ᾖ Δυσάνιος ἐν πελάγει καὶ σαλεύῃ Πόλις. δυσάνιος certa emendatione recuperavimus dum e Laurentiano enotamus quod alteri familiae commune est δυσάλιος; vidimus autem nuper idem iam proposuisse Musgravium, item a δυσάλιος profectum. hodie ne commemoratur quidem Musgravii emendatio, cum omnibus inludat absurdum Vaticani vitium δυσάλιον absurde a paraphrasta explicatum ὄντως σπανία τῶν ἀγαθῶν γίνεται, ὅταν ὡς ἐν πελάγει τὸ τῆς καταδύσεως δυσήλιον ᾖ καὶ ζοφῶδες καὶ σαλεύῃ πόλις. sed nihil luculentius quam v. 370 ubi chorus haec ad Rhesum *obice Achillis oculis peltam sublatam e transverso ad oram currus* (ἄντυξ cur σχιστὴ vocetur sciunt qui vascula picta non contemnunt) *equos incitans, hastam vibrans.* τὰν ζάχρυσον Πηλείδα προβαλοῦ κατ' ὄμμα πέλταν Δοχμίαν πεδαίρων Σχιστὰν παρ' ἄντυγα πώλους (ita Reiskius, κώλοις C) ἐρεθίζων Δίβολόν τ' ἄκοντα πάλλων. paraphrasta haec nugatur πλαγίαν μετεωρίζων τὴν πέλτην παρὰ τὴν σχιστὴν αὐτῆς περιφέρειαν — σχιστὴν λέγει παρόσον οἱ πόρπακες σχίζοντες (πυρριχίζοντες V. quod videat a Vatero explicatum qui incredibilibus delectatur) διαβαίνουσιν ἢ ὅτι ἡ πέλτη τετράγωνός ἐστιν ἐξοχὰς ἔχουσα. excusantur vero ineptiae eo quod peltae oram paraphrasta necessario debebat intellegere: nimirum in omnibus prioris familiae libris equorum aut curriculi nulla fit mentio interceptis vocabulis κώλοις ἐρεθίζων. cum igitur scholiorum consensus cum ea quam comitantur familia manifestus sit etiam in vitiis, contra nusquam cum Laurentiano contra Vaticanum faciant nam veriloquium v. 68 neque tuto ad paraphrastam refertur, neque si referendum est quidquam probat) tenemus Rhesi certe paraphrasin post derivatas a communi stirpe codicum familias

conditam esse: quam cognitionem et per se magni facimus et maioris etiam olim fore momenti speramus institutis per omnium fabularum scholia similibus disquisitionibus.

Sed gravius aliquid sciri et paucioribus etiam ostendi posse laetamur. intexuit paraphrasta suis notulis veterem commentarium, ex quo promanavit quidquid Rhesi scholiis praeter lexicorum fragmenta docti et antiqui inest. et huius quoque commentarii indoles in quamvis laceris relliquiis adgnosci potest. scriptus erat ut rationem redderet signorum quibus Rhesi editio instructa erat, vel potius unici illius apud tragicos signi χ, de cuius aetate longe aliter atque Lehrsius iudicamus. signo autem illo notata erant sive absurde sive inproprie sive contra veterum usum dicta. explicationem signorum excipiunt refutationes earundem rationum, petitae sive ex eadem Alexandrinorum grammaticorum penu sive ex nova argumentatione (plerumque inepta) sive ex enchiridio illo mythologico cuius mentionem supra iniecimus. interiit haud raro aut signi ipsius commemoratio aut explicatio aut denique refutatio: olim vero has tres partes ubivis extitisse prudentem non latebit, modo ne notissimi moris obliviscatur, quo grammatici eodem signo repetito omnes deinceps locos notabant qui ad solvendam difficultatem aut probandam observationem facerent. sic is qui signa posuit miratus est Rhesum, qui apud Homerum Eionei filius est, Strymone et Musa ortum dici, praesertim cum Musae ex vulgari opinione virgines essent et huius Musae ne nomen quidem esset indicatum (Terpsichoram nominavit Aristophanes in argumento secundum consuetudinem in Analectis Euripideis p. 185 explicatam). posuerat igitur τὸ χῖ ad versus 347, 351, 393. explicationes signorum truncatae sunt, sed sufficit 351 τὸ ὄνομα τῆς Μούσης οὐκ εἴρηκε, φησὶ δὲ ὅτι διαβαίνουσαν διὰ τοῦ Στρυμόνος ὁ ποταμὸς ἔγκυον ἐποίησε. μήποτε δὲ ἔπλασε(επ .... V) τὴν ἱστορίαν. plura e refutatione superant cum 317 tum 895 ubi Ialemus commemoratus est secundum nonnullos item Musae filius. sumpta haec omnia sunt ex enchiridio mythologico. similiter certabatur, neque id iniuria, de vigiliis a poeta non satis distinctis (verum vidit Aristarchus), quae quaestio coniuncta est cum enumeratione non minus perplexa astrorum. huc signa spectant 5, 529, 540. schol. 529, in quo Cratetis Parmenisci Meneeratis Aristarchi λύσεις enarrantur, mutilum esse in ipso codice adnotatum est: illud trium partium vestigia servat (τὸ χ) ὅτι οἱ ἀρχαῖοι εἰς τρεῖς φυλακὰς νέμουσι τὴν νύκτα ..... διαπορήσειε δ' ἄν τις πῶς (φησί) "οἳ τετράμοιρον νυκτὸς φυλακήν." πρὸς ὃ ῥητέον κτέ. idem luculenter probat a paraphrasta veterem commentarium conpilatum esse, nam huius enarratio p. 20, 21—24 ex ea pendet explicatione quam illic legerat commendatam, neque aliter de p. 37, 3–6 iudicari potest. quod ad v. 185 adscriptum est de Achillis equis quo spectaret non intellegeremus, si solum servatum esset: conlato v. 240 elucet opprobrio dari poetae quod et mutuetur equorum immortalitatem ab Homero et nihilo minus de equabus loquatur. 185 παρ' Ὁμήρου ἔλαβε τὴν ἱστορίαν· φησὶ γὰρ "ἀθανατοί τε γάρ εἰσιν 240. ὅτι θηλυκῶς· Ὅμηρος "Ξάνθον καὶ Βαλίον" καὶ "Ποσειδάων ἔπορ' αὐτούς." διὸ τὸ χ. veri simile igitur ad v. 7 (p. 20, 25) olim vituperatum fuisse quod poeta quae apud Homerum de Agamemnone dicta erant ad Hectorem transtulit. eiusdem generis sunt notae v. 28 de Europa Sarpedonis matre et v. 36 de Cronio Pane. utrobique larga extat refutatio ex enchiridio sumpta, unde lucem accipit v. 342 ἰδικῶς τὴν Ἀδράστειαν Διός φησι παῖδα, ἄλλων τροφὸν τοῦ Διὸς φασκόντων, illustratur ratio exemplis; sequitur refutatio ἔνιοι ἑτέραν μὲν Ἀδράστειάν φασιν ἑτέραν δὲ Νέμεσιν.

τὴν μὲν (οἱ μὲν Λ) γὰρ Ὠκεανοῦ φασιν εἶναι θυγατέρα, τὴν δὲ (οἱ δὲ Λ) Διὸς καὶ Ἀνάγκης, ἱδρῦσθαι δὲ ἐν Ῥαμνοῦντι τῆς Ἀττικῆς. reliqua desunt, at ex ipsa grammatica constructione sequitur fuisse qui Adrasteam eandem dicerent cum Nemesi Iovis filia. excusari ergo poetam. — 356 βαλιαῖσιν: οὐ κυρίως νῦν τῇ λέξει κέχρηται, λευκὰς γὰρ εἶχεν ὡς καὶ ἀνωτέρω αὐτὰς ἔφη. δύναται δὲ ἀντὶ τοῦ ταχείαις. — 508 de ara Thymbraea παρὰ τὴν ἱστορίαν, confirmatur hoc Dionysodori testimonio; refutatur inepta distinctione δύναται δὲ καὶ στίζεσθαι εἰς τὸ βωμὸν κτέ. — 248 τὸ "ἔσχατος Μυσῶν" μέμφεται ..... κέχρηται δὲ καὶ νῦν Εὐριπίδης (hoc nomen primitus hic non legebatur) παρὰ τοὺς χρόνους, sequitur narratio Demonis, dein refutatio p. 27, 24 εἰσὶ δὲ οἱ Τηλέφῳ γενέσθαι τὸν χρησμὸν τοῦτον κτέ. similiter conceptum fuisse scholion v. 509 nunc mutilatum probabile est. — enumeramus nunc scholia refutatione carentia. 165 γελοῖον τὸ οἴεσθαι ὅτι βασιλείαν αἰτήσει. — 260 κακογαμβρον: οὐκ ἀκριβῶς εἴρηκεν· οὐ γὰρ Ἀγαμέμνων τῇ Ἑλένῃ γαμβρός. — 427 ὅτι νόστον ἁπλῶς τὴν ὁδὸν καὶ τὸν πλοῦν ἔφη κτέ. — 502 παρὰ τοὺς χρόνους· ὕστερον γὰρ τούτων τὸ Παλλάδιον ἔκλεψε κτέ. — 521 Παρμενίσκος τὴν "πρόταινι" λέξιν Βοιωτικήν φησι καὶ μετ' οὐδεμιᾶς πίστεως· σημαίνει δὲ τὸ ἔμπροσθεν. ultima e refutatione supersunt. — 716 τὸ χ ὅτι φαλακρὸν αὐτόν φησι. inprobe cavillatur qui ψαφαρόχρουν κάρα ita interpretatur; etiam magis lapsus est 210 ἀπίθανον τετραποδίζειν αὐτὸν (Dolonem) ὡς τοὺς λύκους· οὐδὲ γὰρ Ὅμηρος διὰ τοῦτο τὴν λυκείαν αὐτῷ περιτίθησιν. atqui Dolonem re vera indutum pelle lupina τετράπουν μιμήσασθαι λύκου κέλευθον (uti similes insidiae passim de barbaris Americae incolis narrantur) vulgari per quintum quartumque saeculum ferebatur fabula, cuius in litteris quidem nulla praeter hanc tragoediam ad nos pervenit mentio, sed vascula Attica et antiquissima et recentia pictam luculentissime hanc scaenam exhibent: qua de re, etsi copiosius atque doctius disputare facile est, satis nunc habemus Th. Schreiberi dissertationem Instituti archaeologici Romani annali 1875 insertam nominasse.

Duorum hominum manus distinguendas esse, alterius qui dubitationes moverit alterius qui crimina a priore notata diluerit in propatulo est. iam vero mira profecto res explicationem requirit, qui fieri potuerit ut tragoediae Euripideae editio conpararetur signis criticis distincta nullo alio consilio nisi ut vitia aut sermonis aut conpositionis notarentur. nam graviter vituperari artem Euripidis, veluti in Troadibus et Hecuba, haud ignoramus: talem editionem nullam fuisse contendimus nisi unius Rhesi: scilicet neque est Euripidis haec tragoedia neque antiquitus eadem omnium fuit credulitas. spuriam esse Rhesum signis notabatur. confidenter hoc pronuntiaremus e sola coniectura; sed habemus testem locupletem. ipse enim scriptor v. 41 adscripsit "πύρ' αἴθει στράτος Ἀργόλας" (πῦρ αἴθει non amplius vocanda est Hartungii coniectura sed Laurentiani scriptura; 78 πυραίθειν sed cum glossa πυρὰ αἴθειν, 824 πυραίθειν habet) τὸ χ ὅτι συνθέτως ἀναγνωστέον καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου ὁ στίχος. cum versus utpote antistrophica responsione defensus omitti nullo pacto possit, aut desperavere de scholio isto aut incredibilia commenti sunt, sicut Schraderus (*de notatione critica* 29): delendum est Byzantini supplementum. fuit ὅτι οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου, scilicet Rhesus.

Tenemus igitur extitisse editionem Rhesi κεχιασμένην, extitisse σύγγραμμα explicandis signis scriptum ad demonstrandam spuriam eius originem. nihil est cur huius editionis auctorem post Christum natum fuisse credamus, cum ex ipsius Aristarchi discipulis conplures

commemoret, minorem natu neminem. deinde alius extitit grammaticus qui in priore commentario novum extruxit refutatis quantum potuit dubitationibus, servato Euripidis nomine; hic Alexandrinorum grammaticorum sententias ab adversario tantum accepit, praeterea ex enchiridio illo post Apionem (schol. v. 28) ante Theocriti scholia (v. 36 cum Dindorfii nota) conposito hausit. huius denique commentario pro fundamento usus est paraphrasta. iam reminiscamur argumenti, quo solo docti eramus fuisse qui de Rhesi origine dubitarent: τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, Εὐριπίδου δὲ μὴ εἶναι, τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνειν χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ. adgnoscimus facile eosdem homines, alter dubitationem movet, a qua alieni fuerunt Aristophanes Aristarchus Crates (de Parmenisco dubitari potest), alter satis eam credit refelli e studio astrorum, quod quantas turbas excitasset e scholiis noverat, et ex didascaliarum testimonio, quod ei haud dubie ex Aristophanis argumento etiamtum integro innotuit. uter perspicacior fuerit nolumus fusius persequi: constat hanc tragoediam circa Demosthenis aetatem ex imitatione cum Sophoclis tum Euripidis ortam esse Athenis. at unum adumbrare iuvat. quaesiverit quispiam, ex caecis praecipue quorum ferax haec aetas est Sophoclis admiratoribus, quomodo is qui tot ac tam gravia vitia Rheso exprobrarit de Sophoclea cogitare potuerit imitatione, desiderari praeterea in scholiis, quod neglegi sane non debebat, imitationis illius testimoniis adstructae documenta. respondemus nec hoc iure dici, quoniam vestigium monstratae olim imitationis quamvis tenue et truncatum superest ad v. 105, ubi ad verba εἴθ' ἦσθ' ἀνὴρ εὔβουλος ὡς δρᾶσαι χερί adnotatam est ἔμπαλιν ὁ Σοφοκλῆς φησιν "εἴθ' ἦσθα σώφρων ἔργα τοῖς λόγοις ἴσα." sed hoc sane ambiguum; contra manifestum est Rhesum adplicatam esse magna ex parte ad imitationem Pastorum Sophocleae. namque ibi quoque scaena erat in castris Troianis, argumentum duplex, et Protesilai et Cycni interitus: haec nihili essent, sed accedit quod chorum audimus de pecoribus suis multa narrantem paene nimis rustice, ita ut Hermannus coniecerit quarto loco actam esse tragoediam (quod missum faciendum est): unus autem e pastoribus describit adpropinquantem Cycni exercitum 459 ἑωθινὸς γὰρ πρίν τιν' αὐλιτῶν ὁρᾶν Θαλλὸν χιμαίραις προσφέρων νεοσπάδα Εἶδον στρατὸν στείχοντα παραλίαν πέτραν. hinc totus pendet Rhesi nuntius, ac persentiscimus profecto parum cautam imitatoris artem ubi Hectorem temere effuttire audimus 206 ἦ πόλλ' ἀγρώταις σκαιὰ πρόσκειται φρενί· καὶ γὰρ σὺ ποίμναις δεσπόταις τευχεσφόροις Ἥκειν ἔοικας ἀγγελῶν κτέ. porro nihil est quod in Rheso legenda plus taedii moveat quam tumidissima et Hectoris et Rhesi gloriatio: at Sophocles consimili artificio barbaros mores pinxerat, nec dubitamus magno poetae bene cedere potuisse, quod in plumbeo imitatore bilem movet. supersunt e Cycni ventosis minis haec aliena quidem a solita tragoediae grandiloquentia sed non indigna summo Britannorum tragico aut Goethio iuvene 458 καὶ μὴν ὑβρίζων σ' αὐτίκ' ἐκ βάθρων ἑλῶ Ῥυτῆρι κρούων γλουτὸν ὑπτίου ποδός.

Ita sensim ex molesto scholiorum situ in laetissimos tragoediae campos delati sumus. speramus nos demonstrasse, non solum oportere ut scholia studiosius quam fieri solet tractentur, sed etiam hauriri inde posse quod gustu non sit insuave. sed scimus via nos duxisse lectores salebrosa et pulverulenta. quid quod veremur ne disputatiunculam nostram perlecturi sint vel duo vel nemo. quodsi tamen duos illos inventuri simus, ut gratum eis faciamus, ceteri autem

ne nimio fastu scholiorum studium contemnant, veras producimus margaritulas, quas in scholiis multo etiam deterioribus et ex parte plane putidis magnus etiam in nostra arte deus Casus nobis obtulit. obferet sine dubio plura eiusdem generis necopinantibus, sed non nisi quaerentibus: τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς ξυλλαμβάνει.

Ad Aristidis Periclem scholiasta (p. 185 Dind.) adscripsit τῶν δέκα στρατηγῶν τῶν ἐν Σάμῳ τὰ ὀνόματα κατὰ Ἀνδροτίωνα

Σωκράτης Ἀναγυράσιος	ex Erechtheide I
Σοφοκλῆς ἐκ Κολωνοῦ, ὁ ποιητής,	ex Aegeide II
Ἀνδοκίδης Κυδαθηναιεύς	e Pandionide III
Κρέων Σκαμβωνίδης	ex Leontide IV
Περικλῆς Χολαργεύς	ex Acamantide V
Γλαύκων ἐκ Κεραμέων	ex Acamantide V
Καλλίστρατος Ἀχαρνεύς	ex Oeneide VI
Ξενοφῶν Μελιτεύς	ex Cecropide VII

dolebamus cum Ioanne Gustavo Droysenio qui de hoc scholio praeclare disputavit (Herm IX 4; fuere conplures qui ineptire mallent) unicum denorum praetorum latereulum qui et plenus olim fuisset et pagorum nomina adderet et sacratum tribuum ordinem servaret librarii socordia mutilatum esse. non una de causa scire cupiebamus quaenam ex tribus reliquis tribubus illo anno praetorem non dedisset, Pericle et Glaucone ex Acamantide creatis. tollit dolorem, satisfacit cupidini, confutat, si opus est, ineptias supplementum scholii quod in codice Marciano 423 legimus

Γλαυκέτης Ἀζηνιεύς	ex Hippothontide VIII
Κλειτοφῶν Θοραιεύς	ex Antiochide X

alterius viri nomen in codice corruptum est in hunc modum Κλαυκετης Ἀθηναῖος. utrumque aliunde nos certe non novimus. carebat tribuli inter praetores Aeantis.

Idem codex post scholion Miltiadis quod apud Dindorfium p. 547 9—15 legitur et vulgaria ex Hesiodo de Geryone narrat ita pergit ὅτι οἱ γ' ἦσαν ἀδελφοὶ μαρτυρεῖ καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἡρακλείδαις αἰνιττόμενός πως καὶ λέγων οὕτως. ἐκεῖθεν ορμενος ὀρθοκέρως βοῦς ἤλασεν ἀπ' ἐσχάτων γαίης ὠκεανὸν περάσας ἐν διπλῇ χρυσηλάτῳ βοτῆρας τ' ἀδίκους κτεῖναι δεσποτῶν τε τριώτατον· τρία δόρη πάλλοντα χεροῖν· τρία διὰ τῆς σακου προτείνων τρεῖς δέ τις ειπλοφουσεστειχισοσαρη βιαν καὶ τὰ ἑξῆς — οἱ μὲν φασὶν ὅτι γ' νήσων ἦρχεν ὁ δὲ ὅτι γ' ἀδελφοὶ ἐγένοντο ἀλλήλοις ἐμφερεῖς καὶ τὸν τρόπον καὶ τὴν θέσιν (l. φύσιν) supersunt haec ex docto mythographi libello qualem Palaephatus condidit, vulgus indoctum et olim et hodie libentissime legit. quo non solum fabulae deflectuntur donec cum naturae legibus congruant, sed etiam veterum scriptorum testimonia eisdem interpretationis artificiis coguntur ut sapientiam rationalistarum (liceat enim Lobeckiane loqui) profiteantur. nec tamen succensebimus docte deliranti homini cum Aeschyli carmen ei debeamus excerptum e tragoedia cuius praeter nomen paene nihil servatum erat; adparet facile frustulum nos tenere cantici quo Herculis labores celebrabantur a filiis supplicibus seu quicumque alii chorum tragoediae conponebant; simile carmen quod στεφάνωμα μόχθων vocat chorus Euripideus in Hercule cantat, ac scimus alterum eiusdem generis Temenidis infuisse. Geryones autem

qualis hoc loco describitur notus est cum ex vasculis pictis haud paucis, quorum nonnulla Aeschylo aequalia sunt, tum ex poetarum versibus, velut ex ipso Aeschylo Agam. 870. quo magis mirati sumus G. Loeschkium eximiam disputationem quam de vasculis Minervam nascentem exhibentibus nuper edidit nugacissimo invento deformasse: serio adfirmat, abusus etiam Aristophanis quem non intellexit versu Acharn. 1082, vascula illa secundum Corinthiacum exemplum picta esse cum Athenienses Geryonem trigeminum non crediderint. sed notare sufficit errorem, quem invito putamus excidisse: nam ne Loeschkius deliramenta istorum amplectatur qui vascula Attica ex poeseos et litteraturae Atticae ignorantia commodissime explicari opinantur sane non veremur. carmen Aeschyleum, nisi melior codex Aristidis reperitur, perpoliri nequit; unum locum quem corruptum repetimus acutiores oculi fortasse primo adspectu sanabunt: nos multa temptavimus, sed quae nobis ipsis non diu satisfacerent. τρώτατον illud v. 4, in quo τρίζυγα Adolfus Kiesslingius latere vidit, aliter non est corrigendum: υ enim ita pictum est ut ligatae ei olim litterae vestigium supersit, quod typis imitari non possumus.

Accipite tandem, cives academici, versus Aeschyleos, laetamini quamvis minuto relliquiarum augmento quas parca nimis Fortuna ex eius poetae tragoediis nobis concessit quo pares paucissimos maiorem nullum hic terrarum orbis vidit

ἐκεῖθεν
ὅρμενος ὀρθόκερως βοῦς ἤλασ' ἀπ' ἐσχάτων
γαίας ὠκεανὸν περάσας ἐν δέπαι χρυσηλάτῳ,
βοτῆράς τ' ἀδίκους ἔκτεινε δεσπότην τε τρίζυγα
τὸν τρία δόρη πάλλοντα χερσί, τρία δ' IATHC
σάκη προτείνων τρεῖς τ' ἐπισσείων λόφους
ἔστειχ' ἴσος Ἄρει βίαν . . .

Dabamus Gryphiae. Id. Iun.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. I. GUIL. HANNE, p. p. o. des.

I) Publice de mentis humanae natura disseret historico-critice et finem hominis supremum secundum doctrinam Christianam exponet die Merc. hor. V. — II) Privatim 1) maximos doctrinae Christianae locos de deo, de mundo, de homine, de salute per Christum assequenda adumbrabit bis p. h. hor. XII; 2) theologiam practicam tradet dieb. Lun. Merc. Iov. hor. XII.

Dr. C. WIESELER, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes in Novo Testamento interpretando moderabitur die Iov. hor. VI. — II) Privatim 1) tria priora evangelia usque ad historiam passionis Christi interpretabitur quater p. h. hor. X; 2) vitam Iesu Christi adumbrabit quater p. h. hor. XII.

Dr. O. ZOECKLER, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes moderabitur die Lun. hor. VI. — II) Privatim 1) historiam ecclesiae temporum recentiorum inde a rerum sacrarum reformatione tradet sexiens hor. IX; 2) theologiam symbolicam exponet quinquiens p. h. hor. III.

Dr. H. CREMER, p. p. o.

I) Publice 1) de morte ac resurrectione Iesu Christi salutifera disseret die Merc. hor. X; 2) seminari theologici exercitationes ad theologiam dogmaticam pertinentes moderabitur die Mart. hor. VI; 3) exercitationes societatis homileticae moderari perget die Merc. hor. VI. — II) Privatim ethicen Christianam docebit quinquiens p. h. hor. XI.

Dr. I. WELLHAUSEN, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes Hebraicas moderari perget die Ven. hor. VI. — II) Privatim 1) isagogen in V. T. libros propheticos et poeticos tradet dieb. Merc. et Sat. hor. XII, die Lun. hor. V; 2) prophetas minores interpretabitur quinis p. h. scholis hor. IV.

II. SCHOLAE IURECONSULTORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. I. F. BEHREND, p. p. o. dec.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes iuris Germanici moderabitur die Mart. hor. V et VI. — II) Privatim 1) ius Germanicum privatum cotidie hor. IX; 2) ius comerci, ius cambiale et maritimum quinquiens p. h. hor. X docebit.

Dr. C. F. W. I. HAEBERLIN, p. p. o.

I) Publice exercitationes criminales instituet die Sat. hor. XII. — II) Privatim 1) historiam imperi et iuris Germanici quinquiens p. h. hor. X; 2) ius criminale quinquiens p. h. hor. XI tradet.

Dr. H. BURCKHARD, p. p. o.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes iuris Romani moderabitur die Ven. hor. V et VI. — II) Privatim pandectas docebit cotidie hor. XI et XII.

Dr. E. R. BIERLING, p. p. o.

I) Publice exercitationes, quae ad ius canonicum spectant, instituet die Merc. hor. XI et XII. — II) Privatim processum criminalem tractabit quaternis p. h. scholis hor. XII.

Dr. E. HOELDER, p. p. o.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes iuris Romani moderabitur die Iov. hor. V et VI. — II) Privatim 1) historiam et institutiones iuris Romani privati docebit cotidie hor. XII et die Merc. hor. XI; 2) de Romanorum iudiciis privatis disseret binis p. h. scholis.

2) PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

Dr. M. E. ECCIUS, p. p. e.

I) Publice in seminario iuridico exercitationibus, quae ad ordinem iudiciorum privatorum spectant, praeerit die Sat. hor. V et VI. — II) Privatim de iure Borussico civili disseret quinquiens p. h. hor. IV.

III. SCHOLAE MEDICORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. H. C. A. PERNICE, P. P. O. DEC.

I) Publice de morbis mulierum disseret die Merc. hor. V. — II) Privatim exercitationes clinicas et policlinicas obstetricias operationesque in phantomate instituendas moderabitur dieb. Lun. Iov. Sat. hor. VIII, ceteris dieb. hor. XII.

Dr. IULIUS BUDGE, P. P. O.

I) Publice de organis sensuum disseret die Ven. hor. IX. — II) Privatim 1) anatomiae corporis humani partem primam tractabit quater p. h. hor. IX; 2) exercitationes anatomicas moderabitur sexiens hor. X et XI et II et III.

Dr. F. GROHÉ, P. P. O.

I) Publice de tumoribus disseret semel p. h. hor. VI. — II) Privatim 1) pathologiam et therapiam generalem adiuncturus anatomiam pathologicam generalem tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. V; 2) cursum anatomiae et pathologiae practicum instituet dieb. Lun. et Iov. hor. XII, dieb. Merc. et Sat. hor. VIII et IX.

Dr. FR. MOSLER, P. P. O.

I) Publice de lienis morbis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) pathologiae et therapiae partem alteram docebit dieb. Lun. Mart. Iov. hor. VIII; 2) de diagnostice physica aget bis p. h. hor. IX; 3) exercitationes clinicas et policlinicas medicas moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. inde ab hor. IX cum dimid., reliquis diebus inde ab hor. X usque ad hor. XI.

Dr. C. HUETER, P. P. O. RECT.

I) Publice de operationibus in capite instituendis disseret dieb. Merc. et Ven. hor. IV. — II) Privatim 1) chirurgiam generalem experimenta et demonstrationes adhibiturus docebit dieb. Lun. Mart. Iov. hor. IV; 2) exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. inde ab hor. X et dimid., dieb. Merc. et Sat. inde ab hor. XI usque ad hor. XII.

Dr. L. LANDOIS, P. P. O.

I) Publice disquisitiones physiologicas et histologicas eorum commilitonum, qui in rebus physiologicis et histologicis iam magis versati sunt, moderabitur cotidie hor. def. — (II) Privatim physiologiae experimentalis partem alteram docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. XII.

Dr. R. SCHIRMER, p. p. o.

I) Publice de capitibus selectis ophthalmologiae disseret die Lun. hor. III. — II) Privatim 1) exercitationes ophthalmoscopicas moderabitur dieb. Iov. et Ven. hor. V; 2) exercitationes operationum in oculis instituendarum moderabitur dieb. Mart. et Ven. hor. III; 3) exercitationes clinicas ophthalmiatricas instituet dieb. Merc. et Sat. hor. III, hominesque oculorum morbis affectos extraneos monstrabit cotidie hor. XII.

Dr. A. EULENBURG, p. p. o.

I) Publice morborum systematis nervosi partem alteram docebit die Lun. hor. II. — II) Privatim 1) artem formulas medicas componendi et dispensandi, practicas exercitationes adiuncturus tradet dieb. Mart. et Iov. hor. II; 2) electrotherapiam demonstrationes additurus tractabit dieb. Merc. et Ven. hor. II.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. C. EICHSTEDT, p. p. e.

I) Publice exercitationes obstetricias in phantomate instituet die Merc. hor. II. — II) Privatim 1) de morbis cutaneis demonstrationes practicas additurus disseret dieb. Lun. et Iov. hor. II; 2) de morbis syphiliticis item demonstrationes practicas adiuncturus aget dieb. Mart. et Sat. hor. II.

Dr. G. HAECKERMANN, p. p. e.

I) Publice de hygieine publica et politia medica disseret dieb. Mart. et Sat. hor. II. — II) Privatim de medicina forensi aget dieb. Lun. Merc. Ven. hor. II.

Dr. RUD. ARNDT, p. p. e.

I) Publice anthropologiam universalem tradet bis p. h. hor. def. — II) Privatim psychiatriam universalem et specialem demonstrationes clinicas adiecturus docebit dieb. Lun. Mart. Ven. hor. IV.

Dr. P. VOGT, p. p. e.

I) Publice de fracturis et luxationibus disseret dieb. Lun. et Mart. hor. V. — II) Privatim exercitationes propaedenticas chirurgicas moderabitur adhibita policlinice chirurgica infantum aegrotorum cotidie hor. II.

3) PRIVATIM DOCENTIUM.

Dr. A. BENGELSDORFF, priv. doc.

Publice de nutrimentis et de diaetetice disseret dieb. Merc. et Sat. hor. IX.

Dr. P. KRABLER, priv. doc.

Privatim 1) paediatricen tradet dieb. Merc. et Sat. hor. III; 2) infantes aegrotos extraneos monstrabit cotidie hor. XII.

Dr. F. HAENISCH, priv. doc.

Privatim 1) exercitationes clinicas propaedeuticas moderabitur bis p. h. hor. VI; 2) pathologiam et therapiam docebit ter p. h. hor. VIII.

Dr. F. SOMMER, prof., priv. doc.

Privatim elementa anatomiae comparatae tractabit dieb. Merc. et Ven. hor. IV.

Dr. M. SCHUELLER, priv. doc.

Privatim anatomiam chirurgicam in corpore humano et vivo et mortuo tractabit dieb. Iov. et Ven. hor. V.

Dr. F. de PREUSCHEN, priv. doc.

Privatim 1) theoriam artis obstetriciae docebit dieb. Lun. Iov. Sat. hor. XII; 2) pathologiam et therapiam puerperi tractabit dieb. Lun. Iov. hor. VI.

Dr. A. BUDGE, priv. doc.

Privatim 1) osteologiam et syndesmologiam tractabit die Lun. Merc. Iov. hor. V; 2) anatomiam microscopicam tradet die Mart. et Merc. hor. V, die Sat. hor. IX.

IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. F. F. C. E. SUSEMIHL, p. p. o. dec.

I) Publice Demosthenis orationem in Midiam interpretabitur dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim historiam prosae Graecae enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. V. — III) Privatissime sed gratis exercitationes Aristotelicas vel Platonicas moderari perget bis p. h. hor. def.

Dr. G. F. SCHOEMANN, p. p. o.

Propter senectutis infirmitatem scholas promittere nequit.

Dr. F. L. HUENEFELD, p. p. o.

I) Publice examinatorium de rebus chemicis et mineralogicis habebit dieb. Lun. et Mart. hor. XII. — II) Privatim 1) oryctognosiam docebit dieb. Merc. et Iov. hor. XII; 2) mineralogiae historiam tradet dieb. Ven. et Sat. hor. XII.

Dr. E. BAUMSTARK, p. p. o.

I) Gratis et privatissime conversationes de oeconomia nationali offert binis horis definiendis habendas. — II) Privatim 1) de conservanda securitate publica disseret dieb. Merc. et Iov. hor. IV; 2) politiam oeconomicam tradet cotidie hor. III.

Dr. A. HOEFER, p. p. o.

I) Publice poema Saxonicum 'Hêliand' ex ed. M. Heynii interpretabitur dieb. Mart. et Ven. hor. XII. — II) Privatim grammaticae comparatae capita selecta tradet dieb. Lun. Merc. Iov. hor. XII.

Dr. A. H. A. I. MUENTER, p. p. o.

I) Publice plantas cryptogamicas illustrabit die Iov. hor. V et VI et die Ven. hor. V. — II) Privatim pharmacologiam docebit dieb. Lun. et Mart. hor. V et VI.

Dr. F. C. O. l. b. de FEILITZSCH, p. p. o.

I) Publice de calore disseret dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim physices experimentalis universalis partem eam tractabit, quae in viribus centralibus nec non polaribus versatur, dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII.

Dr. A. H. BAIER, p. p. o.

I) Publice de Schleiermacheri et Hegelii doctrina disseret die Sat. hor. XI. — II) Privatim 1) psychologiam tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX; 2) philosophiam religionis docebit dieb. Lun. Merc. Sat. hor. XII. — III) Privatissime sed gratis societatis philosophicae exercitationes moderari perget Kantii Criticen puram hanc in rem adhibiturus die Sat. hor. V.

Dr. H. LIMPRICHT, p. p. o.

I) Publice de selectis quibusdam chemiae locis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) chemiae partem secundam tradet sexiens p. h. hor. III; 2) praxin chemicam una cum professore Schwanert instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

Dr. GUIL. AHLWARDT, p. p. o.

I) Publice grammaticam linguae Arabicae docebit dieb. Lun. et Iov. hor. IV. — II) Privatim 1) Elhariri consessus aliquot interpretabitur dieb. Mart. Merc. Ven. hor. IV; 2) grammaticam linguae Hebraicae tractabit dieb. Lun. et Iov. hor. V.

Dr. TH. HIRSCH, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari historici tum historicas tum geographicas illas die Mart. hor. VI et VII vespert., has die Sat. hor. VIII et IX moderari perget. II) — Privatim 1) historiam aetatis Polybianae tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. VIII; 2) geographiam physicam et politicam Americae docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX.

Dr. A. PREUNER, p. p. o.

I) Publice 1) exercitationes archaeologicas et mythologicas moderabitur semel p. h. hor. def.; 2) exercitationibus epigraphicis et historicis praeerit semel p. h.; 3) de fontibus mythologiae et historiae Graecae disseret bis p. h. hor. V. — II) Privatim mythologiam Graecam tradet historiamque religionis Graecorum adumbrabit ter p. h. hor. V.

Dr. A. KIESSLING, p. p. o.

I) Publice in seminario philologico interpretabitur Plauti Trinummum die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam litterarum antiquarum enarrabit quinquiens hor. IV; 2) Horati sermones interpretabitur ter hor. X.

Dr. GUIL. SCHUPPE, p. p. o.

I) Publice exercitationes philosophicas moderabitur die Merc. hor. VI. — II) Privatim historiam philosophiae inde a Cartesio enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. VI.

Dr. H. ULMANN, p. p. o.

I) Publice in seminario historico exercitationes ad historiam medii aevi temporumque recentiorum pertinentes moderabitur die Merc. hor. VIII et IX. — II) Privatim res in Europa gestas inde ab anno 1815 enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII.

Dr. GUIL. THOMÉ, p. p. o.

I) Publice seminari mathematici exercitationes moderabitur die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim 1) mechanicam analyticam docebit dieb. Lun. et Iov. hor. X et XI; 2) geometriam analyticam exponet dieb. Mart. et Ven. hor. X et XI.

Dr. H. SCHWANERT, p. p. o.

I) Publice 1) historiam chemiae enarrabit die Sat. hor. XI; 2) repetitorium et examinatorium chemiae pharmaceuticae offert dieb. Iov. et Ven. hor. IV et V habendum. — II) Privatim 1) pharmaciae partem priorem exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VIII; 2) chemiam analyticam docebit dieb. Ven. et Sat. hor. VIII; 3) praxin chemicam una cum professore Limpricht instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

Dr. U. de WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, p. p. o.

I) Publice 1) in seminario philologico interpretanda proponet a) Tibulli carmina die Iov. hor. III et b) Platonis Critiam die Sat. hor. X et XI; 2) tragodumena enarrabit dieb. Mart. et Ven. hor. III. — II) Privatim Pindari carmina interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX.

Dr. A. GERSTAECKER, p. p. o.

I) Publice animalia in corpore humano parasitice degentia tractabit die Ven. hor. X. — II) Privatim animalium morphologiam generalem et comparatam docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. II.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. BERNH. SCHMITZ, p. p. e.

I) Publice Calderoni tragoediam La vida es sueño (Teatro Escogido, ed. Brockhaus, t. 1, 1876) interpretabitur praefaturus, quantum e re erit, de studio linguae Hispanicae die Iov. hor. II et III. — II) Privatim litterarum Anglicarum praecipue medii aevi docebit dieb. Lun. et Mart. hor. II et III; 2) seminarium philologiae Franco-Gallicae et Anglicae eo ordine moderabitur, ut binis horis in utraque lingua disputationes dissertationesque alias voce alias per scripturam faciendas curaturus sit die Merc. hor. II et III, die Sat. hor. X et XI.

Dr. C. IESSEN, p. p. e.

Ab officio scholas per hoc semestre habendi liberatus est.

Dr. M. SCHOLZ, p. p. e.

I) Publice exercitationes mineralogicas instituet bis p. h. hor. def. — II) Privatim 1) geognosiam docebit quater p. h. hor. def.; 2) mineralogiam tractabit cum pharmaciae et medicinae studiosis bis p. h. hor. def.

Dr. B. MINNIGERODE, p. p. e.

I) Publice exercitationes in seminario mathematico moderabitur die Sat. hor. X et XI. — II) Privatim 1) theoriam aequationum algebraicarum tradet quater p. h. hor. IX; 2) theoriam mathematicam electricitatis et magnetismi exponet quater p. h. hor. X.

Dr. F. BAUMSTARK, p. p. e.

I) Publice 1) analysin volumetricam docebit semel p. h. hor. def.; 2) de materiae commutatione chemica in usum medicinae studiosorum disseret die Sat. hor. XII. — II) Privatim chemiam forensem tradet dieb. Mart. et Merc. hor. IV.

Dr. AL. REIFFERSCHEID, p. p. e.

I) Publice exercitationes seminari Germanici moderabitur ita, ut sodalibus extraordinariis Gotfridi poema 'Tristan und Isolt' interpretandum proponat die Sat. hor. III, sodales ordinarios exerceat tum Pleieri poemate 'Tandarois und Flordibel' critice tractando tum Goethei carminibus selectis interpretandis die Lun. hor. X et XI. — II) Privatim historiae litterarum Germanicarum partem priorem usque ad finem saeculi XVI enarrabit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. XI. — III) Privatissime exercitationes Goticas instituet die Merc. hor. III.

3) PRIVATIM DOCENTIUM.

Dr. C. TH. PYL, priv. doc.

Privatissime sed gratis 1) de selectis partibus historiae artium secundum monumenta, 2) de antiquitatibus Pomeraniae nec non de doctrina nummorum insigniumque secundum monumenta artium litterarumque disputationes moderabitur bis p. h. hor. XI.

Dr. F. VOGT, priv. doc.

I) Publice exercitationes Theodiscas moderabitur bis p. h. hor. VIII. — II) Privatim antiquissima carmina Theodisca interpretabitur bis p. h. hor. VIII.

Dr. CHR. LUETJOHANN, priv. doc.

Publice exercitationes Latine scribendi moderabitur die Lun. hor. III.

Dr. R. MUCKE, priv. doc.

I) Publice 1) de doctrinis, quae appellantur socialismus et communismus, disseret semel p. h. hor. def; 2) de statistica morali aget semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) principia ac fundamenta artis politicae tractabit ter p. h. hor. def.; 2) oeconomiae politicae capita nonnulla exponet ter p. h. hor. def.

ARTIUM MAGISTRI.

G. Bemmann, concent. music. director, I) Publice 1) cantum ecclesiasticum docebit bis p. h. hor. def.; 2) exercitationes cant. moderari perget bis p. h. hor. VI et VII; II) Privatim 1) contrapunctum et componendi artem tradet; 2) commilitonibus offert cantandi lectiones.

E. Weiland publice artem delineandi docebit quater p. h. hor. def.

H. Range 1) exercitationes gymnicas moderandi viam muniet die Mart. hor. VIII vesp.; 2) exercitationes gymnicas moderabitur binis p. h. hor. vesp. def.; 3) instrumenta, quae ad corpora exercenda adhibeantur, cognoscenda curabit hor. def.; 4) artem rudibus batuendi docebit hor. def.

INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica, cui praesunt Hirsch Prof., Dr. Perlbach, I. Cust., Dr. Vogt, II. Cust., Dr. Schwenke, III. Cust., dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—I, dieb. Merc. et Sat. h. II—IV studiosis patebit.

Museum litterarium curant Professores Zoeckler, Burckhard, Landois, Limpricht, Ulmann.

Seminari theologici exercitationes reguntur ab ORDINE THEOLOGORUM.

Societatis homiletico-catecheticae studia ac labores moderabitur CREMER Prof.

Seminari iuridici exercitationes moderabuntur BURCKHARD Prof. BEHREND Prof. HOELDER Prof. ECCIUS Prof.

Theatrum anatomicum administrat BUDGE Prof. assistente SOMMER Prof., qui Prosect. munere fungitur, adiutore A. BUDGE Drc.

Museo anatomico praepositus est BUDGE Prof. adiutoribus SOMMER Prof. et A. BUDGE Drc.

Instituto physiologico praepositus est LANDOIS Prof.

Instituto pathologico-anatomico praepositus est GROHE Prof. adiutore BEUMER Drc.

Museo pathologico-anatomico praepositus est GROHE Prof. adiutore BEUMER Drc.

Collectis praeparatis pharmaceuticis praeest EULENBURG Prof.

Nosocomio Universitatis praesunt MOSLER Prof. et HUETER Prof. — administr. KIRHEFFL — calculatore STEMPEL — assistentibus HUETER Drc. et I. HOFMEIER Drc. — adiutoribus MELTZ Drc. et GERLOFF.

Instituti clinici medici curam habet MOSLER Prof. assistente TILLESSEN Drc. — adiutore GOERL.

Instituti clinici chirurgici curam habet HUETER Prof. assistente SCHUELLER Drc. — adiutore GUENTHER.

Instituti ophthalmiatrici curam habet SCHIRMER Prof. assistente STRUEBING Drc.

Instituti obstetricii curam habet PERNICE Prof. assistentibus REINHARDT Drc. et M. HOFMEIER Drc.

Instrumenta, quae ad physicen pertinent, custodit DE FEILITZSCH Prof.

Seminari mathematici exercitationes moderabuntur THOMÉ Prof. et MINNIGERODE Prof.

Instrumenta astronomica custodit THOMÉ Prof.

Museo zoologico praeest GERSTAECKER Prof.

Museo botanico praepositus est MUENTER Prof.

Hortum botanicum curant MUENTER Prof. et Dr. GOETZE, inspector.

Seminario zoologico-botanico praeest MUENTER Prof.

Museo mineralogico praepositus est HUENEFELD Prof. adiutore SCHOLZ Prof.

Institutum chemicum moderantur LIMPRICHT Prof. et SCHWANERT Prof. adiutoribus F. BAUMSTARK Prof. et HEINTZELMANN Drc. et SPIEGELBERG.

Seminarium philologicum moderabuntur KIESSLING Prof. et DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF Prof.

Seminari Theodisci exercitationes moderabitur REIFFERSCHEID Prof.

Seminarium Gallo-Anglicum moderabitur SCHMITZ Prof.

Seminarium historicum moderabuntur HIRSCH Prof. et ULMANN Prof.

Societatis philosophicae exercitationes moderabitur BAIER Prof.

Gypsothecae et antiquitatum museo praeest PREUNER Prof.

Museo antiquitatum Pomeraniae praeest PYL Dr., Priv. Doc.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
VIII.			Exerc. clin. obstetr., ter. Curs. anat. pathol., bis. Pathol. et therap. spec., ter (Prof. Mosler). Pathol. et therap. spec., ter (Dr. Haenisch).	Hist. aet. Polyb., quater. Sem. hist., semel. Exerc. geogr., semel. Antiquiss. carmin. Theod., bis. Exerc. Theod., bis. Chem. anal., bis. Pharmac. p. I., quater.
IX.	Hist. eccl. temp. rec., sexiens.	Ius Germ. privat., sexiens.	De organis sens., semel. Anat. corp. hum., quater. Curs. anat. pathol., bis. De diagn. phys., bis. Exerc. clin. med., quater. De nutrim. et de diaet., bis. Anat. microsc., semel.	Psychol., quater. Sem. hist., semel. Geogr. Amer., quater. Exerc. geogr., semel. Pindarus, quater. Theor. aequatt. algebr., quater.
X.	Tria priora evangel., quater. De morte et resurr. Iesu Chr., semel.	Hist. imp. et iur. Germ., quinquiens. Ius commerc. camb. marit., quinquiens.	Exerc. anat., sexiens. Exerc. clin. med., sexiens. Exerc. clin. chirurg., quater.	Plautus in sem. philol., semel. Plat. Critias in semin. philol., semel. Sem. Germ., semel. Sem. Franco-Gall. et Angl., semel. Geom. anal., bis. Mechan. anal., bis. Theor. math. electr. et magnet., quater. Sem. math., bis. Animm. paras. corpor. hum., semel.
XI.	Ethice Christ., quinquiens.	Hist. et inst. iur. Rom., semel. Pandectae, sexiens. Ius crim., quinquiens.	Exerc. anat., sexiens. Exerc. clin. chirurg., sexiens.	Schleierm. et Hegel., semel. Horat. sermm., ter. Plautus in sem. philol., semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
XI.		Exercc. iur. can., semel.		Plat. Critias in semin. philol., semel. Hist. litt. Germ. p. I., ter. Sem. Germ., semel. Sem. Franco-Gall. et Angl., semel. Sel. capp. hist. art., semel. Antiqq. Pomer., semel. Geom. anal., bis. Mechan. anal., bis. Sem.-math., bis. Hist. chem., semel.
XII.	Isag. in V. T. libr. prophet. et poet., bis. Vita Iesu Christi, quater. Theol. pract., ter. Summ. doctr. Christ., bis.	Hist. et inst. iur. Rom., sexiens. Pandectae, sexiens. Proc. crim., quater. Exercc. crim., semel. Exercc. iur. can., semel.	Exercc. clin. obstetr., ter. Curs. anat. pathol., bis. Physiol. experim. p. II., quinquiens. Policlin. ophthalm., sexiens. Policlin. infant., sexiens. Theor. art. obstetr., ter.	Philos. relig., ter. Hist. Europ. temp. recentiss., quater. Demosth. Mid., bis. Gramm. compar. capp. sel., ter. Hêliand, bis. Phys. exper. univ. pars in virr. centr. et pol. vers., quater. De calore, bis. Oryctogn., bis. Hist. mineral., bis. Exam. de reb. chem. et mineral., bis. Exam. et repet. chem. pharm., bis. De materiae commut. chem., semel.
II.			Exercc. anat., sexiens. De morbis syst. nerv., semel. Ars formul. compon., bis.	Hist. litt. Angl., bis. Calderon, semel. Sem. Franco-Gall. et Angl., semel. Morphol. anim., quater.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
II.			Electrother., bis. Exercc. obstetr. in phantom., semel. De morbis cut., bis. Syphilis, bis. Hygieine publ., bis. Medic. forens., ter. Exercc. propaed. chir., sexiens.	
III.	Theol. symbol., quinquiens.		Exercc. anat., sexiens. Sel. capp. ophthalm., semel. De morbis infant., bis. Pathol. et ther. puerp., bis. Exercc. clin. ophthalm., bis. Exercc. oper. ocul., bis.	Polit. oecon., sexiens. Tragodumena. bis. Tibullus in sem. philol., semel. Exercc. Lat. scrib., semel. Sem. Germ., semel. Exercc. Got., semel. Hist. litt. Angl., bis. Calderon, semel. Sem. Franco-Gall. et Angl., semel. Chem. p. II., sexiens.
IV.	Prophet. minor., quinquiens.	Ius Boruss. civil., quinquiens.	Operr. in capite, bis. Chirurg. general., ter. Psychiatria, ter. Elemm. anat. compar., bis.	De conserv. secur. publ., bis. Encycl. et methodol. philol., quinquiens. Gramm. ling. Arab., bis. Elharirii consess., ter. Repet. et exam. chem. pharm., bis. Chem. forens., bis.
V.	Isag. in libr. V. T. prophet. et poet., semel. De ment. hum. nat., semel.	Sem. Rom. I., semel. Sem. Rom. II., semel. Sem. Germ., semel. Sem. proc., semel.	De morbis mul., semel. Pathol. gener. et anat. pathol. gener., quinquiens.	Exercc. soc. philos., semel. Hist. pros. Graec., quater. Mythol. Graec., ter.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
V.			Exercc. ophthalmosc., bis. De fract. et luxatt., bis. Anat. chirurg., bis. Osteol. et syndesm., ter. Anat. microsc., bis.	De fontt. mythol. et hist. Graec., bis. Gramm. ling. Hebr., bis. Repet. et exam. chem. pharm., bis. Pharmacol., bis. Plant. cryptog., bis.
VI.	Sem. exercc. exeg., dieb. Iov. et Ven., hist. d. Lun., dogm. d. Mart. Exercc. societ. homil., d. Merc.	Sem. Rom. I., semel. Sem. Rom. II., semel. Sem. Germ., semel. Sem. proc., semel.	De tumoribus, semel. Exercc. clin. propaed., bis.	Hist. philos. rec., quater. Exercc. philos., semel. Sem. hist., semel. Pharmacol., bis. Plant. cryptog., semel. Exercc. cant., bis.
VII.				Sem. hist., semel. Exercc. cant., semel.
VIII.				Praecepta exercc. gymn. moder., semel.
Hor. def.		De Rom. iud. priv., bis.	De morb. lienis, semel. Disquiss. physiol., sexiens. Anthropol., bis.	Exercc. Aristot. vel Platon., bis. Exercc. archaeol. et mythol., semel. Exercc. epigr. et hist., semel. Converss. de oecon. nat., bis. De Socialismo et communismo, semel. Statist. moral., semel. Princc. et fundamm. art. pol., ter. Oecon. polit. capp. sel., ter. Mineral., bis. Geognos., quater.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
Hor. def.				Exercc. mineral., bis.
				Sel. chem. capp., semel.
				Prax. chem., sexiens, duodeciens, triciens.
				Anal. volum., semel.
				Cant. eccles., bis.
				Contrap. et ars compon.
				Cantandi lectt.
				Ars delin., quater.
				Exercc. gymn., bis.
				De instrumm. gymn.
				Ars rudib. batuendi.